

sustentatur, quæ diversitas non posset in vacuo intelligi. Respondeo, verum quidem videri, in his denominationibus, prout sunt in communi usu, interdum admisceri extrinsecas denominationes vel habitudines, quamvis illæ non sint, quæ prædicamentalem rationem constituunt. Ut nomen situs etiam est æquivocum, et interdum, ut dixi, sumitur substantive pro illo loco, in quo res sita est, et non semper pro loco adæquato, sed pro illa parte terræ in qua res sustentatur, ut si dicamus situm corporis Christi in cælo esse illam partem superficiei convexæ cæli empyrei, quam suis pedibus contingit. Sic igitur, cum quis dicitur sedere, ibi possunt conjungi duo, scilicet, quod habeat talem dispositionem sui corporis, et quod habeat sedem in qua sustentetur; prior ratio est, quæ per se pertinet ad prædicamentum situs, quam posset quis habere etiam in vacuo; posterior autem non spectat per se ad prædicamentum, quia non sumitur ex aliquo, quod se habeat per modum formæ, sed solum per modum causæ extrinsecæ sustentantis, vel potius impediens ne corpus aut partes ejus ulterius descendant. Unde si homo esset rectus in vacuo, secundum dispositionem intrinsecam stare diceretur. Non quidem in ordine ad corpus extrinsecum sustentans, sed quia ipsæ partes corporis inter se ita essent dispositæ et ordinatæ, sicut nunc sunt in homine, qui stare dicitur; quod a nobis explicari non potest, nisi per relationes aut effectus aliquos, scilicet, quia una pars esset sub alia, et quasi sustentaret illam, ut pedes, crura, et sic de aliis. Neque aliter posset homo in vacuo constitui, saltem naturaliter.

SECTIO II.

Quæ subjecta, species aut proprietates huic prædicamento tribui possint.

1. Hic breviter expeditur reliqua, quæ de hoc prædicamento desiderari possunt.

De subjecto situs.

2. Primum est, quibus rebus attribui possit situs. Dicendum est enim imprimis, non posse attribui rebus incorporeis, quia est dispositio totius, resultans ex ordine partium in loco; res autem incorporea non habet partes, sed tota est in toto, et tota in qualibet parte. Unde non est satis quod ejus præsentia sit aliquo modo divisibilis, et habens partes in ordine ad spatium, quia cum tota substan-

tia sit sub qualibet parte illius præsentia, nulla peculiaris denominatio aut situæ dispositio inde resultat in tali re, præter hanc, scilicet, esse præsentem majori vel minori spatio. Et ideo supra non diximus situm identificari cum quolibet Ubi, sed cum illo, in quo potest reperiri.

3. Deinde est certum, situm maxime proprie convenire animalibus, in quibus sunt partes diversarum rationum ac figurarum, et ex propria et intrinseca virtute diversimode componi possunt aut disponi in ordine ad locum. In aliis vero rebus, præsertim si uniformes sint seu homogeneæ, non ita facile potest distingui situs ab Ubi, saltem considerando solam ipsam dispositionem internam, non autem externam, partium, absque habitudine ad alia corpora universi. Nihilominus tamen potest in eis considerari aliqua ratio situs, quæ consistat in ista dispositione partium inter se, quamvis per analogiam, vel proportionem ad ordinem universi a nobis explicetur. In ipso enim universo, quatenus est aliquo modo unum, et quasi artificiatum quoddam, compositum ex congruenti dispositione suarum partium, intelligi potest quidam situs, et quasi dispositio totius, ratione cujus diversa corpora dicuntur habere diversum situm in universo. Qui quidem situs in unoquoque corpore partialis est respectu universi; tamen respectu talis corporis est totalis, consurgens ex partialibus sitibus suarum partium, et sic quodlibet corpus habet suum situm, quatenus partes ejus habent superiorem vel inferiorem locum inter se, et in ordine universi. Quamvis enim situs non consistat intrinsece in his respectibus, non tamen potest a nobis ejus ratio sine illis exponi. Unde etiam in animalibus non potest positio omnino præscindi ab his respectibus; nam qui rectus stat ordine naturali suarum partium, diversum situm habere censetur ab eo qui, inverso ordine, caput haberet inferius, et pedes superius, etiamsi alioqui haberet corpus æque extensum, et in eadem figura dispositum. Sic igitur potest situs inveniri etiam in corporibus inanimatis, maxime tamen attribui solet iis quæ habent partes diversarum rationum. Unde etiam corpora artificialia, quatenus diversis partibus constant, positionem et situm habere censentur, ut domus, in qua fundamentum est inferius, tectum superius, etc.; imo et exercitus, eo modo quo est unum quid, suam habet positionem, quando ordinate constitutus est, non

quod positio sit relatio ordinis, sed quod ex partibus sic ordinatis talis dispositio totius consurgat.

4. *Quæ sint species situs.* — Ex his facile est intelligere sub hoc genere positionis plures species distingui posse, quas breviter colligit Albertus, libro de Sex principiis, tractatu de Positione, cap. 1, dicens, differentias subalternas hujus prædicamenti esse, æque, vel non æque poni, seu flexe aut recte; speciales vero differentias esse sessionem, stationem, etc., inter quæ etiam numerat asperum et leve, in cap. 2. Quod etiam habet D. Thomas, opusc. 48. Unde etiam videtur sequi, ut idem Albertus objicit, dicto capite 2, etiam curvum vel rectum, prout præcise oriuntur ex positione partium in loco, pertinere ad prædicamentum situs, quia etiam illæ differentia dicunt quamdam dispositionem totius, consurgentem ex positione partium, quod admittere non est magnum inconveniens; nam revera statio et sessio ratione rectitudinis et curvatis maxime differunt, non quod ipsa figura ut sic sit positio, et pertineat ad hoc prædicamentum, sed illa dispositio totius in ordine ad locum secundum talem ordinem partium, ex qua sequitur talis figura. Quocirca, sicut species figurarum, et habitudines partium secundum partialia loca, possunt infinitis modis variari et disponi, ita species situs innumeris modis variari possent.

5. *Quæ proprietates situs.* — De proprietatibus autem situs plura disputat Albertus supra, cap. 3, 4 et 5, quæ breviter colligit D. Thomas, dicto opusc., cap. 2. Et imprimis illi attribuunt illas duas communes proprietates, scilicet, non habere contrarium, et non recipere magis et minus, de quibus nihil occurrit addendum, præter ea quæ de Ubi dicta sunt; nam, licet una positio repugnet alteri, illa non est propria contrarietas, sed specifica diversitas, sicut etiam una figura repugnat alteri. Potest autem attribui his speciebus situs illa oppositio quæ est inter terminos motus, quatenus homo exstante fit sedens, et sic de aliis; tamen etiam illud non est primario ratione situs ut sic, sed ratione Ubi. Addunt vero, cum Gilberto Porret., maxime proprium esse hujus prædicamenti, proxime assistere substantiæ; et vim faciunt in verbo assistendi, prout distinguitur a verbo inhærendi. Sed non censeo hanc proprietatem esse necessariam, quia etiamsi sub illo verbo assistendi com-

prehendamus omnem modum vel relationem, aut denominationem, quæ non supponit propriam et rigorosam inhærentiam, immediatius assistit substantiæ corporeæ (de qua est sermo) Ubi, quam situs. Sed hæc parvi momenti sunt, et ideo de hoc prædicamento dicta sufficiant.

DISPUTATIO LIII.

DE HABITU, UT QUODDAM GENUS ACCIDENTIS CONSTITUIT.

In qua significatione sit hic de habitu sermo. — Hanc vocem *habitus* supra, disputatione 40, de speciebus qualitatis disserendo, explicuimus. Unde, omissa illa significatione, qua vel dispositionem quamlibet permanentem corporis aut animæ, vel propriam quamdam speciem qualitatis significat, hic agendum est de altero significato ejus, quod censetur esse peculiare genus entis, cujus communem rationem primo declarabimus, deinde breviter, quæ ad subjectum, species et proprietates ejus spectare videbuntur.

SECTIO I.

Utrum habitus sit aliquid extrinsece denominans, et quale illud sit.

1. In hoc prædicamento explicando eadem est diversitas opinionum, quæ in aliis sex. Omittenda vero est opinio, quæ conjungit absolutum cum respectu prædicamentali, quia ejus impugnatio ejusdem rationis est in omnibus his prædicamentis. Omitto etiam opinionem de relationibus extrinsecus advenientibus, propter eandem causam, et quia si hic intervenit aliqua relatio, illa intrinsece sequitur, positio termino et fundamento proximis, si debito modo explicentur.

Opinio Gilberti et definitio habitus expenditur.

2. Superest ergo tantum tractanda opinio, quam indicat Gilbertus, et aliqui sequuntur, nimirum, quod habitus sit quoddam accidens quod resultat in corpore vestito ex adjacentia vestimenti; ita enim exponunt illam definitionem Gilberti, *Habitus est corporum, et eorum quæ circa corpus sunt, adjacentia.* Et potest hæc sententia confirmari ex Aristotele, 5 Metaph., c. 20, ubi ait habitum esse quemdam actum medium inter habentem et rem habitam; sicut actio (inquit)

mediat inter agens et effectum, sic inter eum, qui vestem habet, et vestem quæ habetur, medius est habitus; unde infert ipsum habitum haberi non posse, scilicet, alio habitu medio, ne in infinitum abeat. Igitur ex sententia Aristotelis, habitus non est vestis quæ extrinsecus adjacet, sed est (ut ita dicam) habitio ipsius vestis; hæc autem habitio, quæ mediat inter vestitum et vestem, non est in veste, sed in vestito, qui dicitur habere vestem. Ratione potest confirmari, quia vestis non est accidens, sed substantia. Item, quia si sola hæc denominatio a veste adjacente sufficeret constituere hoc prædicamentum, innumera alia prædicamenta constituenda essent, quia infinitæ sunt hujusmodi denominationes.

Formam hujus prædicamenti esse extrinsecam vestem ostenditur.

3. Nihilominus dicendum est, formam hujus prædicamenti esse mere extrinsecam, puta, vestem, vel aliquid simile, quæ non aliter informat, quam adjacendo, et extrinsece denominando. Declaratur explicando prius in hoc prædicamento quatuor illa, quæ in cæteris prædicamentis accidentium interveniunt, nempe formam seu abstractum, subjectum formæ, unionem, et concretum seu compositum inde resultans. Forma igitur est vestis ipsa; subjectum est homo, verbi gratia, qui induitur; unio hic non est alia, nisi circumpositio seu adjacentia indumenti illo modo, qui accommodatus est ad ornamentum, seu tegumentum subjecti quod vestitur; concretum autem est totum hoc, homo vestitus, vel incomplexus, indutum. Quod autem hæc ita sint, ex ipsa declaratione satis fere probatur; nam hæc intelliguntur facile, et sufficiunt ad veritatem et communem usum harum denominationem, et quidquid ultra additur, intelligibile non est. Nam in corpore quod veste induitur, præcise ex adjacentia vestis nulla res vel modus realis pullulat, nisi forte relatio propinquitatis aut contactus, vel alia similis, quæ sine dubio prædicamentalis est. Et confirmatur, nam homo sine sui mutatione potest vestiri, solum per adjacentiam vel circumpositionem vestis; imo hæc ipsa mutatio non terminatur per se ad propriam formalitatem hujus prædicamenti ut sic, sed ad Ubi, et inde statim consequitur illa denominatio. Non est ergo forma hujus prædicamenti aliquis modus intrinsecus ejus rei seu objecti, cui attribuitur denominatio-

nes hujus prædicamenti; nam hoc subjectum est homo, qui vestitus dicitur, in quo omnes conveniunt, et tamen in eo nullus talis modus excogitari potest, qui verisimilis sit.

4. *Aristotelis dictum explicatur.* — Quando ergo Aristoteles dixit habitum esse quid medium inter vestem et vestitum, non est locutus de forma hujus prædicamenti, sed de unione talis formæ, quæ claritatis gratia magis significaretur, si vocaretur habitio. Est enim advertendum, quod interdum habere significat indifferenter quaecumque relationem inter rem habentem et habitam, quomodo dicitur totum habere partes, et subjectum accidentia, et pater filium, et dominus servum; et hæc significatio explicatur ab Aristotele in Postprædicamentis; est enim valde analoga, et quasi transcendentalis. Atque hoc modo dicitur homo habere vestem, si illam possideat, etiamsi ea indutus non sit; tamen illa non est denominatio hujus prædicamenti, neque tunc vestis exercet rationem formæ respectu vestiti, sed denominatur habita, ut terminus relationis dominii seu possessionis. Propter hoc ergo dixit Aristoteles, quod sicut inter agens et effectum mediat actio, ita necesse est ut inter vestem et vestitum mediet habitio, ut homo denominetur habens vestem illo peculiari modo, quo denominatur indutus vel vestitus. Hæc autem habitio non est aliud quam unio accommodata vestimenti ad hominem. Unde majorem proportionem habet hæc habitio cum unione seu causalitate formali, quam cum actione. Et ideo, licet sub nominibus significantibus informationem homo denominetur passive vestitus, vel indutus, vestis autem quasi active, scilicet, vestiens aut ornans, tamen sub ratione habendi fit e contrario; nam homo denominatur active habens vestem, vestis autem passive dicitur habita, sicut forma dicitur quasi active informans materiam, materia autem denominatur quasi active habere formam. Et inde forte ortum habuit, ut forma hujus prædicamenti denominata sit habitus.

5. Quod si quis curiose inquirat, quid rei sit hæc habitio, respondeo non esse unionem aliquam realem, imo nec novum realem modum, additum aut vestimento, aut rei vestitæ, in tali loco et situ constitutis. Primum est manifestum; quæ enim realis unio fingi potest inter vestem et hominem vestitum? Secundum patet, quia, positus homine et veste in tali dispositione et propinquitate locali et situali,

etiamsi reipsa vel intellectu prescindatur omnis alius modus realis, verum erit dicere hominem esse vestitum; ergo superfluum est quidquam aliud fingere. Item, sicut homo potest nudari omnibus vestimentis, nulla facta in eo mutatione reali, ita intelligere possumus, saltem per potentiam Dei, posse annihilari hominem vestitum, manentibus vestibus immutatis in eodem Ubi et situ, et cum omni alio modo intrinseco; ergo signum est nullum modum similem intervenire; omitto enim relationes prædicamentales, quæ ad rem nihil deserviunt; nam si aliquæ sunt in vestimento et vestito, consequenter se habent. Est ergo illa habitio, sola extrinseca adjacentia et accommodatio indumenti ad rem indutam, quæ licet in re non distinguatur ab ipso modo et dispositione quam vestis habet in suo loco, tamen, quia hic et nunc ratione illius ita comparatur vestis ad rem vestitam, ut illam ornet, et quasi informet, ideo ut sic est quasi unio quædam ad illam, et consequenter etiam ratione illius dicitur res vestita peculiari modo habere vestem. Unde illa adjacentia, habitio vel habitus appellata est.

6. Ex quo etiam intelligitur æquivocatio quæ in hac voce habitus intercedit; interdum enim significat meram denominationem passivam ab habendo, quacumque ratione res habeatur, et sic nullus est prædicamenti determinate, quia solum dicit denominationem termini aliqujus relationis vel habitudinis; quidquid enim possidetur, vel quomodolibet habetur, potest dici habitus illo modo. Aliter vero significat hæc vox quasi substantive sumpta, et per modum nominis abstracti, certam speciem qualitatis, ut diximus. In præsentī vero significare potest aut vestem ipsam, aut accommodationem vestis ad rem vestitam, et hac ultima significatione usus est Aristoteles hac voce in citato loco. Ad tollendam vero æquivocationem, nos habitationem illam appellamus; jam enim communiore usu habitus magis significat vestem ipsam; et hoc modo dicimus habitum esse nomen abstractum significans formam hujus prædicamenti, quæ solum est adjacens et extrinseca. Ad quem sensum potest etiam facile accommodari definitio Gilberti.

Ad rationes in contrarium responsio.

7. Ad primam vero rationem respondet D. Thomas, in citato opusculo 48, non omnes denominationes prædicamentorum acciden-

tium sumi a veris accidentibus, sed aliquas posse sumi ab una substantia, quatenus accidentaliter denominat aliam. Præsertim (ut ipsemet ait) quia una substantia non sic accidit alteri secundum puram entitatem substantialem, sed ut affecta aliquibus accidentibus, scilicet, quantitate, qualitate, et aliis, quæ necessaria fuerint. De qua re satis diximus in superioribus, disputat. 39, explicando divisionem accidentis in novem genera, ubi etiam declaravimus quæ denominationes extrinsecæ constituent diversas rationes prædicamentales, quæ vero minime, sed ad alias reducuntur.

SECTIO II.

Quæ sint subjecta, species, aut proprietates habitus.

1. *Inanimata habitu carent.* — De subjecto hujus prædicamenti D. Thomas, citato opusculo, significat esse solum hominem; nam res inanimatæ non vestiuntur; alia vero animalia natura vestivit pilis, plumis, etc., quæ vestimenta non pertinent ad hoc prædicamentum, quia sunt (ait D. Thomas) partes integrales suorum animalium; homo autem solus, cum nudus nascatur, rationem accipit, qua sibi vestimenta parare posset, et ita hoc prædicamentum videtur solis hominibus convenire.

2. *Hominum industria, animata et inanimata habitu induuntur.* — Addit vero idem D. Thomas, denominationem hujus prædicamenti extendi ad quædam alia animalia, quatenus industria hominis vestibus ornatur aut armatur, ut simia, vel equus. Addere vero ulterius possumus eadem industria extendi hanc denominationem ad res inanimatas, saltem quatenus sunt imagines animatarum, et præsertim hominum, quo modo vestimus imagines. Imo interdum res alias, ut domos, palatia, etc., ornantur aulæis, seu tapetis, quæ sine dubio præbent denominationem pertinentem ad hoc prædicamentum.

3. *Deaurati, dealbati, et hujusmodi denominationes ad hoc prædicamentum spectant.* — Denique addit, ad hoc prædicamentum pertinere omnem denominationem provenientem ab una substantia, quæ solum per modum ornamenti alteri conjungitur, etiamsi proprie vestis non sit, secundum communem usum hujus vocis. Hoc patet ex dictis supra in divisione generum prædicamentorum, ubi ostendimus has denominationes, deaurati, dealbati, etc., ad hoc prædicamentum perti-

nere, quia sunt accidentales, et ad nullum aliud spectant, et alioqui habent satis univocam convenientiam cum denominatione quam vestimentum tribuit. Atque ita tandem fit ut subjectum hujus prædicamenti possit esse quodlibet corpus, præsertim maximum; nam simplicia non sunt ita apta ad has denominationes, quamvis terra prout ornatur herbis aut floribus, hanc denominationem participare videatur.

De speciebus habitus.

4. Ex hac vero subjecti explicatione facile colligi potest varietas specierum sub hoc prædicamentali genere contentarum. Posse- mus autem, majoris claritatis gratia, ipsum summum genus non appellare nomine habitus aut vestimenti, sed ornatus, et illud distinguere in proprium vestimentum, et in ornamentum commune rebus inanimatis, ut tales sunt. Et rursus vestimenta hominum dividi possunt, vel juxta diversas partes organicas, quomodo distinguimus pileum a calceo, etc.; vel juxta diversos fines, quomodo distingui possunt vestimenta propria ab armis, quæ D. Thomas supra ad hoc prædicamentum revocat, et maxime videtur habere verum de armis defensivis; nam illa, quæ ad offendendum sunt, non conjunguntur homini per modum formæ, sed per modum instrumenti; unde ut sic non tribuunt peculiarem denominationem prædicamentalem. Deinde ornamenta aliarum rerum possunt multis modis variari; nam quædam sunt pendentia tantum, seu extrinsecus adjacentia; alia sunt intimiori modo conjuncta, ut aurum in argento deaurato, et inter hæc facile potest alia distinctio et varietas multiplex excogitari.

Proprietates habitus.

5. Ultimo, quod spectat ad proprietates hujus prædicamenti, nihil fere dicere necesse est. Nam cum forma hujus prædicamenti sit substantia quædam, ut in se est talis res, eandem habet proprietates quas substantia corporea, ut variis accidentibus subest; tamen ut forma est extrinseca, fere nullas habet proprietates peculiares. Aliqua vero accidentia videntur peculiariter pertinere ad eam constituendam sub tali ratione, præsertim color et figura; nam hæc duo, sicut ad pulchritudinem multum conferunt, ita etiam ad rationem ornamenti. Addunt D. Thomas et Albertus, locis supra citatis, esse proprie-

tatem hujus prædicamenti recipere magis et minus; sed non est intelligendum de susceptione magis et minus per propriam intentionem; sic enim, cum habitus sit substantia quædam, non magis potest suscipere magis et minus quam ipsa substantia, sicut ob eandem rationem non habet contrarium. Sed dicitur suscipere magis et minus secundum additionem quamdam, non tantum extensivam ex parte subjecti, quod commune est aliis accidentibus, sed per multiplicationem vestium et circa eandem partem. Quomodo dicitur magis vestitus, qui duas tunicas habet, quam qui unam tantum.

6. Unde etiam est peculiare huic prædicamento, ut una forma ejus possit alteri supponi, vel quasi per accidens ex voluntate hominis, ut quando sunt vestes ejusdem rationis, vel per se ex institutione talis habitus, ut toga superponitur aliis vestibus, quamvis denominatio semper referatur immediate ad ipsum hominem; homo est enim qui togatus denominatur, et quamvis contingeret carere interioribus vestibus, et solam haberet togam, ita denominaretur. Est etiam quodammodo proprium hujus prædicamenti, ut formæ ejus distinguantur secundum partes organicas hominis. et tamen simpliciter denominent hominem; quamvis enim calcei aut pileus, tantum sint in pedibus, vel capite, simpliciter dicitur homo pileatus, vel calceatus, et recte sequitur unum ex alio; nam quando forma non est nata convenire toti nisi ratione alicujus partis, tunc existens in sola illa parte denominat totum, sicut dicitur homo crispus propter solos capillos. Sic igitur, quia calceus est extrinseca forma solius pedis, in illo existens denominat totum, et sic de aliis. Et ob contrariam rationem, quando denominatio ex se est communis toti, non sumitur simpliciter ab hujusmodi formis, et ideo non dicitur homo simpliciter vestitus, etiamsi habeat calceos, aut pileum, etc. Et hactenus de novem generibus accidentis.

DISPUTATIO LIV.

DE ENTIBUS RATIONIS.

1. *Ratio ob quam hic agatur de ente rationis.* — Quanquam in prima disputatione hujus operis dixerimus, ens rationis non comprehendendi sub proprio et directo objecto metaphysicæ, ideoque ab ipso etiam Philosopho ab hac tractatione exclusum fuisse in libro 6

sue Metaphysicæ, nihilominus ad complementum hujus doctrinæ, et ad metaphysicum munus pertinere existimo, ea, quæ communia et generalia sunt entibus rationis tradere. Est enim eorum cognitio et scientia ad humanas doctrinas necessaria; vix enim sine illis loquimur, vel in metaphysica ipsa, vel etiam in philosophia, nedum in logica; et (quod magis est) etiam in Theologia. Nec vero potest hoc munus ad alium, quam ad metaphysicum spectare. Nam imprimis, cum entia rationis non sint vera entia, sed quasi umbræ entium, non sunt per se intelligibilia, sed per aliquam analogiam et conjunctionem ad vera entia, et ideo nec etiam sunt per se scibilia, nec datur scientia quæ per se primo propter illa solum cognoscenda sit instituta. Quod enim hoc aliqui tribuunt dialecticæ, error dialecticus est; nam finis illius scientiæ non est nisi dirigere et ad artem revocare rationales hominis operationes, quæ non sunt entia rationis, de quibus nunc agimus, sed entia realia. Itaque nullus artifex nullave scientia per se primo intendit entium rationis cognitionem, sed hæc tradi debet quatenus cum cognitione alicujus entis realis conjuncta est; quomodo physicus agit de privatione, quæ conjuncta est cum materia ad formam, et agit de vacuo per comparisonem ad locum, et sic de aliis.

2. Hoc igitur modo, metaphysicæ proprium est agere de ente rationis ut sic, et de communi ratione, proprietatibus et divisionibus ejus, quia hæ rationes suo modo sunt quasi transcendentales, et intelligi non possunt nisi per comparisonem ad veras et reales rationes entium, vel transcendentales, vel ita communes, ut sint proprie metaphysicæ; nam quod fictum est, vel apparens, per comparisonem ad id quod vere est, intelligi debet. Quare, licet aliæ facultates, ut physica, vel dialectica, aliquando attingant aliqua entia rationis, quæ cum suis objectis conjuncta sunt, ut jam exemplis ostendimus, tamen non possunt ex propriis rationes quasi essentielles eorum exponere. Hoc ergo ad metaphysicum quasi ex obliquo et concomitantem spectat, ut Alexander, D. Thomas et alii, 6 Metaph., notarunt, et Aristotelem ita exponunt, ut supra advertimus; et ideo nec ipse Aristoteles, in sua Metaphys., illa omnino prætermisit, ut patet ex lib. 4, cap. 1 et 2, et lib. 7, cap. ultimo. Hoc itaque in præsentis disputatione præstandum a nobis est, in qua prius qualemcumque naturam et causas hu-

jus entis declarabimus; deinde, adjuncta divisione, varia genera horum entium indicabimus, ea omnia in particulari attingendo, quæ ad hanc doctrinam pertinere videbuntur.

SECTIO I.

An sit ens rationis, et quam essentiam habere possit.

1. Non desunt etiam in hac re sententiæ extreme contrariæ, saltem in vocibus; nam si auctores earum pressius examinentur, fortasse solum de vocibus contendunt.

Prima sententia negans entia rationis.

2. Quidam ergo simpliciter negant dari entia rationis, sed omnia, quæ de iis dicuntur, posse optime de rebus ipsis intelligi, et in eis salvari. Hanc sententiam ita conatur defendere, disputandi potius quam asserendi gratia, Mairon., in Quodlib., quæst. 7; et quidam Bernardinus Mirandulanus, in Expositione prædicament., illam defendit. Fundamentum esse potest, quia aut ens rationis dicitur, quia est in ratione subjective, vel quia est factum a ratione, et hoc non, quia inesse et fieri sunt proprietates entium realium; unde constat, actus et species, quæ fiunt a ratione, eique insunt, entia esse realia; vel dicitur esse ens rationis, quia est fictum a ratione, et contradictionem involvit dicere tale ens esse, quia quod solum fingitur, non est. Vel saltem (quod ad rem magis spectat) sequitur talia entia rationis minime esse necessaria, neque ad doctrinas, neque ad res veras concipiendas; nam fictiones intellectus ad hos fines necessariæ non sunt.

Alia sententia tribuens entibus rationis veram entis rationem.

3. Altera sententia extreme contraria est, non solum dari entia rationis, verum etiam unica significatione, atque etiam conceptione contineri sub communi appellatione entis, quamquam secundum analogam convenientiam. Imo non desunt, qui inter nonnulla entia rationis et aliqua realia ponant univocam convenientiam, ut inter relationes, quorum sententiam superius refutavimus. Nec etiam desunt qui entibus rationis attribuant entitatem independentem ab actuali cognitione intellectus, quorum opinio attingit quæstionem de modo quo consurgunt, vel suo modo causantur entia rationis, et ideo melius eam tractabimus sectione sequenti. Fundamentum ergo